



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

Sectio I. Enumerantur Comites & Duces Luxemburgenses S. Maximini
Aduocati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

nunquam peregit Archiepiscopus, sed Legati Apostolici, uti recenti memoria est factum Anno MDCX. per Attilium Amalthæum Archiepiscopum Athenarum, & Anno MDCXXI. per Antonium Albergatum Vigiliarum Archiepiscopum.

Episcopos autem, & multò magis Archiepiscopos Monasteria sibi subiecta certis casibus & temporibus visitare posse, ut cum Abbas officio suo deesset ex Concilio Tridentino notum est, & passim tradunt DD. Panormit. in cap. Pastoralium, num. 6. de officio ordinarij.

Quæ omnia ita ab omni memoria usu perpetuo inuiolabiliter seruata, omnimodam Exemptionem Monasterij cuius æquo lectori clarè manifestant.

CAPVT TERTIVM.

Aduocatiam seu Protectionem Monasterij S. Maximini esse Ducum Luxemburgensium.

DE hoc capite tria nobis potissimum probanda sunt: primum, Protectionem seu Aduocatiam prædictam inde ab origine Comitum & Ducum Luxemburgensium, Augustæ eorum familiae semper, usque in hodiernum diem adhæsisse. Secundo, eam supremam ac vniuersalem fuisse, & ad quæuis dicti Monasterij bona extensam. Tertio hæreditario & successionis iure à maioribus ad posteros semper eam descendisse, quæ tria totidem Sectionibus persequar.

SECTIO I.

Enumerantur Comites & Duces Luxemburgenses S. Maximini Aduocati.

CVM nomine Comitum Luxemburgensium arcta etiam necessitudo & coniunctio illius cum S. Maximini Monasterio orta est.

Constat ex antiquis monumentis eo fere loco, ubi hodie Luxemburgum est, olim fuisse Castra Romanorum Lætorum Lingonum dicta, quæ deinde Lucilenburgum, corrupta voce vulgò nominata sunt; iis vicinam fuisse speculam dictam Lucilinburgh, ut quasi custodiam Lucilinburgi, quæ structa fuit in eodem omnino loco, ubi hodie veteris arcis ruinae spectantur. Carolus Martellus illustrissima Arduennatis sanguinis propago, Anno Christi DCCXXI. Witmaris Ecclesiam (hodie Weimerskirchen Luxemburgo omnino vicinam) cum Lucilinburgo & Lucilinburghut (quorum ruinae infra fines Parochiae Witmaris Ecclesiae continebantur) tum & Petrifolam (hodie Steinsel) & Cumiciacum donauit Monasterio S. Maximini, ob miraculosè sanitatem sibi à S. Maximino restitutam, ut habetur in vita S. Maximini n. 12. à Lupo ad Waldonem Abbatem conscripta, qui annis fere centum post hanc donationem vixit. Vide etiam Baronium, ad A. 741. n. 15.

Sigefridus Comes, cum latè in Regione Arduennate dominetur, atque Ditioni suæ opportunum animaduerneret Lucilinburgum, vna cum specula in rupe inaccessa quondam constructa circa Annum DCCCCLXIII. vtrumque

vna

vna cum vicino agro pridem à Carolo Martello donatum, ab Abbate Wickero & Maximinianis acquisiuit, bonis suis in Viulna (hodie Feulen) in Comitatu Arduennate in commutationem datis, prædictumque Castellum autoritate Regali in Comitatum erexit, & se suosque Comites Lucilinburgenses exinde dixit, autorizante omnia S. Brunone Archiepiscopo Colonienfi, & Ottonis Magni nomine Lothariense Regnum administrante. Permutationis istius instrumentum, etiamnum in originali exstat.

Fecit hæc permutatio & Sigefridi in primis virtus, vt non modò tellus & solum Maximinianum, sed & simul singularis & hæreditaria defendendi Maximinianos voluntas, in Luxemburgenses Principes Sigefridi posteros, cum Luxemburgo migrasse videretur, nam exinde supremam Aduocatiam Monasterij, nulli nisi Luxemburgenses Comites & Duces obtinuere, quamuis etiam nonnullos Sigefridi auos, & ascendentes ac propinquos eadem Aduocata insignitos fuisse, non obscuris argumentis doceri possit.

Sigefridum porro primum Luxemburgensem Comitem fuisse Aduocatum S. Maximini, patet, primò Ex donatione Vodæ Comitissæ, Vxoris Gozilini *ex nobilissimis Regni Lotharij*, quæ dedit sua bona S. Maximino *in Frisingen, Aspet, Emringen, Filsdorff*, pagis circa Luxemburgum anno DCCCCLXIII. cui donationi primus inter Aduocatos & Saleburgiones simul apponitur Sigefridus Comes ante Richuinum Comitem, & Hildradum notissimum ex plurimis instrumentis Monasterij Aduocatum, vtique tanquam Aduocatus supremus & Princeps, ipsum originale Vodæ Comitissæ exhiberi potest.

Patet secundò ex donatione Egberti Archiepiscopi facta S. Paulino anno DCCCCLXXXI. Treuiris, quam inter cæteros qui interfuerunt, subsignauit etiam Sigefridus sic enim ibi habetur. *Signum Luzonij Præpositi & S. Theodoricæ Comitissæ, &c. S. Sigefridi Comitis & rerum S. Maximini Aduocati, S. Ottonis &c.*

Fuit & ea causa haud dubiè, tanquam peculiariter deuotus S. Maximino prædictus Sigefridus in eiusdem sancti templo cum Vxore Hattwige ante altare S. Clementis sepultus, cum inscriptione, quæ etiam hodie exstat, & nuper in reparatione Ecclesiæ sepulchro eius aperto, geminæ prægrandes in Sarcophago repertæ sunt clauæ, quibus peritiores Aduocatiam geminam, quam habuit, tam in Monasterio Maximiniano, quàm in Epternacensi, significatam volebant, iuxta ea quæ de clauæ & similibus habentur in Iure.

Senescente Sigefrido, vna etiam Henricus seu Hezelo Sigifridi natu maior cognomento SENIOR, qui postmodum factus est Dux Bauariæ, Maximinianam Aduocatiam, tanquam Comes Luxemburgensis, siue eius primus hæres administravit, vt manifestè liquet ex donatione Berthæ Comitissæ, Vxoris Wolmari Comitis, quæ S. Maximino, anno Christi DCCCCXCVI. dedit *Mutfurdt*, duabus horis pagum distantem Luxemburgo ad Siram, in qua dicit Folmarus Abbas, *omni a gessimus Comitis Henrici, nostri Aduocati consilio & instinctu*, neque enim eo anno, nisi Comes Arduennæ erat, vt patet ex donatione Sigifridi parentis, qui prædia sua in villa Mersch, quæ tribus horis Luxemburgo distat, ad Alizonciam S. Maximino dedit DCCCCXCIII. Postea autem demum anno MIII. iuxta authorem vitæ S. Meinuerici apud Christophorum Brouerum, *num. 14. in Syderibus Germ.* iuxta Andræam Brunnerum verò *Boicorum Annalium libro 3. in fine* anno MV. die S. Benedicti, Dux Bauariæ à Sancto Henrico Imp. Sororio suo nominatus est. Donatio Berthæ, sicut & Sigifridi litteræ, testes præcedentium in Originalibus exhiberi possunt, sicut etiam Originales Henrici III. Imperatoris de anno MDVI. sub Num. 24. quibus Aduocatiam S. Ma-

ximini regulat, eiusque iura exponit Giselberto Comiti Luxemburgensi, Monasterij itidem Aduocato Henrici Aduocati ex fratre Friderico Nepoti, iuxta normam & iura, quibus in Aduocatia eadem usus fuerat prædictus Henricus cognomento SENIOR. Vide Andream du Chesne, Christianissimi Regis Historiographum, qui prædicta accuratè adnotauit in libro, quem de Historia Luxemburgensi ad Cardinalem Richelieu nuper scripsit. *C. 1. pag. 8. & in probationibus Cap. 2. pag. 9.*

Henricus, Sigifridi Primi Comitis Luxemburgensis ex Friderico filio nepos, natuque maior Friderici, cognomento IUNIOR, defuncto Henrico Patruo (qui & Senior ab historicis dicitur) in Aduocatia S. Maximini successit, namque Fridericus, Parens Henrici IUNIORIS obierat ante mortem Henrici SENIORIS Fratris sui natu maioris, ut liquet ex historicis, qui post annum MVII. nullam amplius faciunt mentionem Friderici, plurimam autem Henrici SENIORIS.

Henrici IUNIORIS Aduocatia Maximiniana verificatur ex præfatis litteris Henrici III. Imp. de anno MLVI. in quibus ad preces Giselberti Comitis Luxemburgensis Maximiniani Aduocati, Aduocatiæ Maximinianæ iura regulat & constituit, iuxta normam, qua Henricus SENIOR & Henricus IUNIOR Luxemburgenses Principes eam obtinuerant, uti videre est sub N. 24.

Item ex litteris S. Popponis Abbatis Maximiniani, in quibus Poppo vna cum Henrico Duce (Ducatu enim Bauariæ ab Imperator donatus fuerat) Monasterij S. Maximini Aduocato, Billacum (hodie Wasserbillig) oppidum tum ad S. Maximinum spectans, ad confluentes Suræ & Mosellæ, quatuor horarum spatium distans Luxemburgo, in ordinem redegit, legesque illi dedit. Huius quoque chartæ originale exhiberi potest. Fuit hic Henricus sepultus ad S. Maximinum iuxta Sigifridum, maioresque suos Luxemburgenses Principes, deditque Maximinianis pro animæ refrigerio *Luzelfirchen* & *Schittringen* pagos non procul Luxemburgo distitos, ut habet vetus Menologium mortuale Maximinianum, ante annos D. circiter conscriptum. Vide etiam de Aduocatia huius Henrici Andream du Chesne in historia Luxemb. *c. 2. pag. 14. & 15. & in probationibus. c. 3. pag. 17. & c. 4. p. 26. circa finem cit.*

Giselbertus Comes Luxemburgensis & Salmensis Sigifridi nepos, Friderici filius Henrico IUNIORI fratri successit, is suæ Aduocatiæ iura cum Monasterij Juribus confusa, in præsentia plurimorum Principum ab Imperatore liquidari curauit, ut patet ex superius citato Henrici NICRI, seu III. Imp. diplomate Refert Richardus Wasseburg, Archidiaconus Virdunensis, *Tomo 1. Annal. suorum in vita S. Richarij fol. 218* quod cum Lithardus Ottonis III. Imperatoris propinquus, ex Comite de Longui Monachus, ad S. Vitonum Virduni in S. Maximini Monasterio defunctus, ibidem esset sepultus, per Giselbertum Comitem Luxemburgensem Aduocatum Maximinianum, fuisse deinde exhumatum, & Vitonianis restitutum S. Richario, Abbate S. Vitoni cum repente. Giselbertus creditur ad S. Maximinum iuxta maiores suos sepultus, dedit eidem Monasterio Swepsingen & Lezenich pagos Luxemburgenses, ut notat præfatum vetus Necrologium, seu mortuale Maximinianum ad XIX. Kal. Sept. Vide Andream du Chesne in historia Luxemburgensi, *c. 4. pag. 24. & 25.*

Conradus Comes Luxemburgensis eius nominis I. Giselberto Patri in Aduocatia successit, id probatur ex litteris Henrici IV. Imp. de anno MLXV. quibus annitente & summopere petente Conrado Aduocati iura in Monaste-

rium, in amplissimo Imperij Principum confessu, Treuiris declarata iterum & & roborata sunt. Bellum etiam & similitates, quas cum Archiepiscopo Treurense Euerhardo, suscepit Conradus, partim Maximinianorum causa suscepisse videtur, quando Theodoricus Abbas orta seditione inter Maximinianos & Archiepiscopales, milite Monasterium muniuit, vt patet ex litteris Theodorici, quas vide sub N. 28.

Henricus, Conrado patri defuncto successit, hoc quoque mortuo, Wilhelmus frater Henrici ex eodem parente Conrado natus minor Comes Luxemburgensis & Aduocatus S. Maximini fuit. omnia probantur ex litteris Moguntinis Henrici V. Imperatoris, seu IUNIORIS de Anno MCVII. Itemque alijs eiusdem Imperatoris Spirensibus de Anno MCXII. in quibus late iura Aduocatorum explicantur. Quas vide Nu. 30. & Andræam in *historia Luxemburgensi* c. 6. pag. 31.

Conradus II. Comes Luxemburgensis Wilhelmo patri, in Aduocatia successit, probatur ex litteris ipsius Conradi de anno MCXXXV. quibus iura Aduocatorum S. Maximini, tanquam supremus Aduocatus, & à Regia manu bannum habens, vt de Wilhelmo eius patre loquitur Henricus Imperator in citatis litteris Conradi II. litteras habes sub Num. 32. Vide Historiographum Franciæ Andræam in *hist. Luxemb. cap. 6. pag. 31. & in probat. c. 7. pag. 35.*

Henricus Comes Luxemburgensis & Namurcensis vulgò Cæcus, post Conradum vna cum Comitatu Luxemburgensi, Aduocatiâ supradictam iure hereditario acquisiuit. Mortuo enim dicto Conrado II. sine liberis, Comitatus ad Henrici Matrem Ermesindam deuolutus erat, quod Ermesinda filia esset Conradi primi Comitis ac Wilhelmi soror, ac Gerardo Comiti Namurcensi Henrici patri nupta.

Hoc tempore Albero Archiepiscopus Treurense Abbatiam conatus est Ecclesiæ suæ subijcere, vt suo loco dicitur.

Probare autem Aduocatiâ Henrici, superuacaneum est, cum & ipse auctor Libelli passim eam agnoscat, atque etiam documenta proferat, quæ eundem Henricum ab Imperatore Aduocatiâ recepisse narrant, vt videre est in Conrardino, in libello producto sub lit. V.

Henrico CÆCO, qui adhuc anno MCLXXXVIII. viuebat, in Aduocatia successit tertia Luxemburgensium stirps, ex Limburgensibus & Arlunensibus profecta. Nam cum Henrico nisi vnica fuisset Filia, Ermesinda itidem, vt auia nominata, eaque desponsata primis nuptijs Theobaldi I. Barrensi Comiti, nullam protulisset Prolem, nisi Filiam nomine Isabellam nuptam Walramo Limburgensi IUNIORI, Walrami SENIORIS Limburgensis filio tandem prædicta Ermesinda mortuo Theobaldo anno MCCXIV. nupta est Walramo SENIORI Comiti, tum Arlunensi, postea etiam Duci Limburgensi. Vnde ad Limburgenses in qualitate Comitum Luxemburgensium deuoluta est Aduocatiâ, & quidem ex contractu nuptiali anno MCCXIV. celebrato, non ad posteros, qui ex Isabella filia Ermesindis prognati erant, sed ad posteros, qui ex Henrico Walrami SENIORIS & Ermesindis filio prognati erant. Vide Andræam in *Historia Luxemb. & Limb. hæc pluribus deducentem.* Walramus II. igitur cum Vxore Monasterij Aduocatiâ habuit, ab anno MCCXIV. vsque ad annum MCCXLVI. quo mortuus est.

Henricus Comes Luxemburgensis cognomento MAGNVS & Blondellus successit Walramo Patri in Aduocatiâ pro vt probatur ex instrumento, quo tanquam Aduocatus Monasterij, fecit dominos de VISBACH iuri Patrona-

tus Ecclesiæ de VISBACH, quod vsurpauerant, cedere, illudque Monasterio restituere. Ipsum Originale de anno MCCLV. exhiberi potest.

Henricus II. prædicti Henrici BLONDELLI filius, & Comes Luxemburgensis patri successit, cui, tanquam Aduocato commisit S. Maximini Monasterium *in omnibus iuribus & libertatibus suis, quoad homines & bona attinentes eidem Monasterio iuxta priuilegiorum suorum tenorem ipsis à Romanis imperatoribus & Regibus indultorum, auctoritate Regia tuendum, protegendum & defendendum.* Rudolphus I. Habsburgicus Imperator litteris cam in rem expeditis Hagenæ, anno MCCLXXVI. quas habes sub Num. 37.

Henricus cognomento IVSTVS, ex Luxemburgensi Comite deinde Imperator, eius nominis SEPTIMVS, successit Henrico II. patri, hic in litteris Mediolani datis, anno MCCCXI. ad Henricum Dapiferum, ad Præpositum Luxemburgensem, ad Præpositum Bidburgensem, & reliquos Officiatos Comitatus Luxemburgensis, mandat omnibus & cuilibet sub obtentu gratiæ suæ, firmiterque præcipit, vt Maximinianos in omnibus hominibus, redditibus & rebus vniuersis, defendant cum effectu, prout, & quando ab eis, vel eorum mandato, fuerint requisiti, *idque non solum nomine Prædecessorum suorum, Romanorum Regum & Imperatorum Fundatorum Ecclesiæ S. Maximini & Protectorum eiusdem, sed & progenitorum suorum Comitum Luxemburgensium, quibus vti superioribus Aduocatis, immineat ex debito dictam Ecclesiam defendere specialiter, & protegere ab omnibus molestiis & aduersitatibus.* Ita documenta Archiuij Monasterij, & ex mandato Friderici Comitis de SARWERDEN Luxemburgi Gubernatoris de anno MCCCCVIII. colligitur, illud habes sub Num. 44.

Ioannes Rex Bohemiæ & Comes Luxemburgensis post Henricum SEPTIMUM Patrem, Aduocatiam habuit.

Et post illum Wenceslaus, non autem Carolus filius Ioannis natu maior, qui postea factus Imperator, dictus est Carolus IV. nam testamento paterno de anno MCCCXL. Carolo cessit Bohemiam & Wenceslao Luxemburgum omnesque eius appendices & iura, adeoque & Aduocatiam Maximinianam, vt patet ex Caroli testamento, quod extat. Sed extant & litteræ Treuiris datæ anno MCCCLIV. quibus Carolus Imperator, fratri Wenceslao Comiti Luxemburgensi, aut cuicumque pro tempore existenti Comiti Luxemburgensi tanquam Aduocato Monasterium Maximinianum Regis & Imperatoris auctoritate protegendum & defendendum committit. Vide eas sub N. 38.

Wenceslaus alter, cognomento IGNAVVS, Caroli IV. filius, itidem Imperator Wenceslao patruo successit, & cum Comitatu Luxemburgensi (à Carolo patre Wenceslao patruo adhuc viuente in Ducatum erecto) Aduocatiam S. Maximini adiit, qui ternis litteris datis Luxemburgi anno MCCCLXXXIV. iura & priuilegia S. Maximini proteggit, defendit &c. vnaque etiam Protectoriales Caroli IV. ad Wenceslaum, vel quemcunque pro tempore Luxemburgensem Principem, tanquam Aduocatum Monasterij suis late inferit. Omnium litterarum Wenceslai IGNAVI copiam habes sub Nu. 41. & seqq.

Cum Wenceslao IGNAVO Ducatus Luxemburgensis iura, Jodocus Marchio Moraviæ, postea Imperator ex Joanne Henrico, Caroli IV. Fratre prognatus, velut ex æquo diuisit, ita volente ipso IGNAVO, qui Jodocum in socium hæreditatis vltro ascieuerat. Jodocus autem Ludouico Duci Aurelianensi, Caroli IV. Francorum Regis Fratri, vices suas commisit, vt absentis nomine Mamburnus Luxemburgenses regeret. Quocirca Jodocus & Ludouicus, quilibet suo modo Aduocatiam S. Maximini, velut sibi & principaliter, & vi-

cariè respectiuè competentem procurârunt. Exrant Protectoriales Aduocati Jodoci de anno MCCCXCIV. & Ludouici de anno MCCCCII. quæ exhiberi possunt. Sed & Fridericus Comes de SARWERDEN, sub hæc ipsa tempora, Mamburnus & Capitaneus Luxemburgensis, pro Maximinianis Defensoriales expediuit anno MCCCCVIII. habes sub Num. 44.

Elizabetha Gorlizia neptis Wenceslai JGNAVI ex fratre Joanne Duce Gorlizensi post illos habuit Ducatum Luxemburgensem & simul Aduocatiâ præfatam; & cum illa maritus eius Antonius Burgundus, Elisabethæ Defensoriales habes sub Numero 46. Antonius quoque tanquam Aduocatus multum in Monasterij negotijs laborauit, dum suffragiis dissidentes, Religiosi duos Abbates elegerunt, quorum vterque electionem suam vrgebat, quoad tandem, posita lite, nouis comitiis Lambertum à Saxenhausen, Prælatum nominarunt. Habentur Antonii Defensoriales, Luxemburgi datæ pro Monasterio ad Rupertum Comitem de Virneburg Luxemburgi Governatorem, de anno MCCCCXI. sicut & alia duo eius Rescripta in fauorem Monasterii de anno MCCCCXII.

Philippus Burgundus, cognomento BONVS, post Elizabetham & Antonium Burgundum, obtinuit Ducatum Luxemburgensem & Aduocatiâ: Illi Abbas S. Maximini tanquam primus Ecclesiastici status in Ducatu Luxemburgensi, Iudicij IV. Nou. anno MCCCCLXI. occurrit, eoque nomine iurauit. Ipse verò Philippus, anno sequenti MCCCCLXII. professus more Maiorum se Aduocatum S. Maximini, Defensoriales rescripsit. Eidem Philippo, omnibusque Ducibus Luxemburgensibus, præsentibus & futuris Maximianos, eorumque Monasterium, homines & res, Regia autoritate & Cæsarea defendendos, tanquam hæreditariis Aduocatis & perpetuis, commisit Fridericus III. Austriacus Imperator anno MCCCCLXII. litteras Imperatoris habes sub Num. 47.

Carolus cognomento AVDAX Philippi Boni filius & hæres, Ducatum & Aduocatiâ deinde habuit, cui Abbas Maximinianus iuramentum dixit Marchiæ in Famenâ anno MCCCCLXIII. Caroli Defensoriales Luxemburgi datæ anno MCCCCLXXIII. habes sub Numero 48. Idem Carolus anno MCCCCLXXIII. Imperatorem Fridericum eiusque filium Maxilianum Archiducem Regaliter & magnificè in Monasterio S. Maximini excepit. *Vide magnum Chronicon Belgicum, pag. 401. & seqq.* Carolus quoque, Aduerfus Archiepiscopum ad Palatiolum in fundo S. Maximini, & intra districtum suæ Aduocatiæ & Protectionis, moles inchoantem & Maximinianorum aliorumque piscationem impediendam, pro Maximinianis fortiter stetit iubens moles disijci &c. vt ex litteris, quas habes sub Num. 49. pluribus disces.

Maria deinde Caroli filia, eiusque maritus Maximilianus Austriacus Archidux, postea Imperator eius nominis Primus, Ducatum & Aduocatiâ hæreditario Iure habuerunt. Protectoriales Maximiliani & Philippi eius filij, mortua iam matre Maria habentur de Anno MCCCCLXXXVII. Brugis rescriptæ sub Numero quinquagesimo. Sed & alia plurima Maximiliani rescripta pro Monasterio asseruantur & extant, in quibus eminet illud, quod concessit postmodum Imperator, quo amplissimè iura omnia Monasterij confirmat & innouat, & expressis verbis mandat Duci Luxemburgensi præsentem & futuro, vt tanquam Aduocatus istius Cænobij Abbatem, Conuentum & Monasterium ac homines, bona, redditibus & iura ipsorum auctoritate Cæsarea protegat, defendat ac conseruet. Vide illud sub N 61.

Philippus Archidux, postea Rex Hispaniæ eius nominis Primus, cum Luxemburgo vnâ Aduocatiam adiuit, viuente etiamnum Patre Maximiliano Cæsare, præter superiores eius Defensionales cum Maximiliano communes, alias rescripsit Bruxellis anno MDIII.

Carolus Imperator eius nominis V. post Philippum patrem, Ducatum & Aduocatiam habuit etiam ad initia Regiminis, Bruxellis Protectoriales rescripsit anno MDXV. Inde sæpius pro Monasterij defensione rescripsit, vt pluribus Originalibus adhuc extantibus liquet. Philippo etiam Badensi Marchioni, Gubernatori Luxemburgensi Monasterij Defensionem commisit: Philippus Marchio Protectoriales anno MDXXI. expediuit, quas habes sub Numero 63. Quæ pro defensione Sancti Maximini præstiterit Carolus, pluribus vide supra cap. primo sect. prima. Sed & Belgij suprema Gubernatrix Maria Regina Hungariæ literis pluribus Monasterium ornauit. Vnas de anno MDL. & alias de eodem anno, ad Archiepiscopum Treuirensis habes sub Numero 70.

Philippus II. Rex Catholicus Carolo V. patri successit in Ducatu Luxemburgensi, itemque in Aduocatia Maximiniana, eius Protectoriales habes sub Num. 71. & 72. ex quibus sincera semper Luxemburgensium Principum mens in Maximinianos probatur. Extant & multarum aliarum in fauorem & defensionem Monasterij expeditarum originalia.

Certè Philippo debetur conseruatio Monasterij contra Ioannem à Petra Archiepiscopum, cum enim Ioannes Isenburgicus Monasterij Coadiutor euassisset, dataq; fide iurasset, se Monachum induere velle, & religionem in Monasterio profiteri, & si vnquam Coadiutoriam deponeret, eam in neminem alium transferre velle, sine Monachorum consensu: his non obstantibus, vt Monasterij gubernacula ad Archiepiscopos transferret, Religionem professus non est, sed Coadiutoriam etiam nomine facilius in Archiepiscopum postea electus est, quò magis Electores adnexam cupiebant Abbatiam Archiepiscopatus: Coadiutoriam autem mutatam in Commendæ speciem, reluctantis Monachis transtulit in Ioannem à Petra, suum in Archiepiscopatu successorem. Verùm Cordatissimus Rex Philippus, qui videbat hisce titulis, & collusionibus (vt vocabant) potiùs nihil quæri, quàm Iurium Monasterij euerfionem, adeò fortiter se conatibus Ioannis à Petra opposuit, vt à Commenda in perniciem Monasterij impetrata absistere debuerit. Vide Pactum Isenburgici sub Numero 69.

Philippo SECVNDO successit, primum eius filia Isabella & Albertus Archiduces & Supremi Belgarum Principes, tum filius Philippus Tertius, Philippo III, Philippus IV. filius, gloriosissimus Hispaniarum Rex & hodiernus Monasterij Aduocatus, cuius felicibus auspicijs pulsos à Philippo Christophoro Archiepiscopo Maximinianos, Christophorus Comes Embdanus & Ost-frisiæ Luxemburgi Gubernator, iubente Serenissimo Ferdinando Cardinale Infante Supremo Belgij Governatore, Regijs armis iter facientibus, Beata Virgine Annuntiata referante portas, nuperè XXVI. Martii anni MDCXXXV. reduxit. Philippi IV. Protectoriales habes sub Num. 83.

Ferdinandi II. Cæsaris, quibus eidem Philippo, tanquam hæreditario Aduocato Monasterii Protectionem commendat, litteras habes sub Numero 87.

Carolo V. Philippo II. III. & IV. regnantibus etiam Belgio adeoque Luxemburgo & Aduocatiæ Maximinianæ consequenter præfuerunt, primò

Margaretha Ducissa Parmensis Gubernatrix Belgij, cuius multa extant rescripta defensionalia Monasterij, duo apposita habes, vnum sub Numero 73. alterum sub Numero 74. Deinde Alberus Archidux initio Gubernator Belgij, mox etiam cum Isabella Infanta Hispaniarum Dominus & Princeps, adeoque Hereditarius S. Maximini Aduocatus, cuius, vt & Isabellæ defensionales habes sub Numero 78. Sicut & Cardinalis Infantis Ferdinandi hodie summa potestate & felicitate pro fratre Rege Belgium administrantis sub Num. 90. & Ferdinandi II. gloriosissimæ memoriæ Imperatoris ad Serenissimam Infantam Isabellam sub Num. 89.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, Principes Luxemburgenses omnes à primo vsque ad vltimum, & hodiernum fuisse Aduocatos & Protectores Maximinianos.

SECTIO II.

Aduocatia Ducum Luxemburgensium suprema est, & extendit se ad omnia Monasterij bona ubicunque sita.

NON restrictam vlllo modo, sed amplissimam fuisse præfatam Aduocati-
tiam pluribus rationibus ostenditur.

Primo, quia Luxemburgenses Principes olim soli *Aduocati*am seu Aduocatiæ bannum vt vocabant, à Regia manu suscipiebant, adeoque à Regibus & Imperatoribus Aduocatia inuestiebantur, tanquam beneficio Regio & Imperiali, vt de Giselferto Sigifridi primi Comitis Luxemburgensis nepote & Monasterij Aduocato, expressè habetur in litteris Henrici NIGRI Imp. de anno MLVI. vbi hæc habentur. *Aduocatus vero Giselfertus, qui in presentiarum est, alijsque Successores ipsius, qui Bannum à Regia manu susceperint, &c.* vide Diploma Num. 24. Idem habetur de Conrado Giselferti filio, Aduocato Monasterij, vt patet in litteris Henrici SENIORIS Imperatoris de anno MLXV. vbi hæc loquuntur: *Aduocatus verò Chonradus siue Successor ipsius, qui bannum à Regia manu habuerit.* Idem habetur de Guilhelmo Conradi filio & Monasterij Aduocato, vt patet ex litteris Henrici IUNIORIS Imp. de anno MCXII. in quibus dicitur, *Aduocatus verò VVilhelmus, qui in presentiarum est, &c.* planè vt supra in alijs, eas habes sub Num. 30. Idem habetur de Conrado II. Guilhelmi filio & Monasterij Aduocato, vt patet ex ipsiusmet Conradi litteris de anno MCXXXV. in quibus, tanquam Aduocatus Aduocatiæ suæ iura declaraturus, sic incipit. *Ego Conradus Comes de Luzelenburg, postquam prouidente Deo post discessum pijsissimi Genitoris nostri VVilhelmi Comitis, de manu Regia, quidquid iuris nostri est, cum omni integritate recepimus.* litteras vide sub Numero 32. Simili modo Henricus CÆCVS SEV NAMVRCENSIS, habuit Aduocatiæ ab Imperatore Conrado II. vt patet ex litteris præteritis, quas allegat Aduerfarius Scriptor in suo libello pagin. 164. Similiter & Rudolphus Primus Imp. commisit Aduocatiæ Henrico Secundo, Henrici BLONDELLI filio. Vide litteras Rudolphi sub Numero 37. Item Carolus Quartus Imperat. Wenceslao Duci primo Luxemburgensi sub Numero 38. & Fridericus IV. Imp. Philippo BONO Burgundo vt est sub Num. 47.

Et tamen omnes alij Aduocati, qui supremi non erant, neque Generales, sed particularium tantum Monasterij locorum Aduocati quales plures